



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata

In Qvatvor Tomos Distincta

Humanæ salutis Monumenta, & Odæ variæ

Arias Montano, Benito

Antverpiæ, 1589

In tabulam Christi in horto. Ode Dicolos Tetrastrophos. LIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44973

MONUMENTA.

62

In tabulam Christi in horto.

Ode Dicolos Tetraſtrophos. LIIII,

Non tam denſa bonus credere Gedeon
Villis expoſuit vellera candidis,
Nocturno penitus rore madentia,
Queis tellus ſitit inuidens;

Nec tot ſicca iterum combibit area
Diſuſas nebulae munere roſcidae
Stillas, quae domitos exigua manu
Hoſteis praemoneant duci,

Quam multis hominum criminibus tener
Agnus comprimitur, qui ſubit omnium
Culpas inmodico pondere plurimas,
Humanumque reſert genus.

Dum ſuſti memores numinis expedit
Iras atque odium, dum veterem parat
Offenſam generis ſuſcipere, vt graueis
Poenas iuſtitiae luat;

Ille & iudicij conſcius ardui,
Et quantis voueat criminibus caput,
Quas explere petat vulneribus minas,
Horrens praecidit & pauet.

Horret parte ſui prouidus altera,
Quae nec nempe mali neſcia, nec boni,
Sed mens exſuperat certa ſequi graue
Magni conſilium Patris.

Hic dum preſſa hominum criminibus tremunt,
Et mentis properant imperium ſequi,
Permanant fluidis membra cruoribus,
Et ſudore madent truci.

PUBLICI DEBITI GRAVITAS.

Eheu corda graui nimium ſunt preſſa ſopore,
Pro quibus hic orat Chriſtus & aduigilat.

HUMANAE MISERIAE
SVSCEPTORI S.